CLERO SÆCULARI VENETO

GYMNASIA

SENATUSCONSULTO ERECTA

PRIMUM ADEUNTE,

ORATIO

HABITA

A FRANCISCO BOARETTI

ELOQUENTIÆ SACRÆ PROFESSORE.

VENETIIS,
APUD THOMAM BETTINELLI.
SUPERIORUM PERMISSU.

M. DCC. LXXXV.

Digitized by Google

424

Digitized by Google

IMPERII felicitatem, incolumitatem Reipublicæ, optimum cujuslibet Ordinis statum, Societatis demum universæ constitutionem omnium florentissimam arcto quodam vinculo cum Religionis integritate & decore conjunctam esse, adeo certum & exploratum quovis tempore visum est tam Legumlatoribus, quam Rerumpublicarum Principibus, & Administris, ut Ægyptii, Græci, Romanique vel ipsi Superstitioni, quod sancta illis, & religiosa videretur, tantum inesse roboris judicaverint. Ubi vero primum Gentibus ac Populis clarior illa & plenior lux Divinitatis affulsit, quæ Religionem ab initio temporum Cœlo delapsam longe apertius ostendit, penitusque perfecit: ubi primum impedimentis omnibus peculiari Divini Numinis patrocinio superatis locus paci ac tranquillitati datus est, Imperatores continuo, Reges, Præsidesque Reipublicæ Religionem tueri, fovere, firmare summo studio enixi sunt, eidemque vigilantia, institutis, legibus, & effusa liberalitate opitulari. Quis autem ita sit in Historiarum monumentis peregrinus, & hospes, ut ignoret, inclytam hanc, & immortalem Venetorum Rempublicam Religioni sustinendæ, &

Digitized by Google

omni munimentorum genere vallandæ eminenti quadam ratione ſemper ſtuduiſſe; eidemque & exterius potenti defenſione patrocinatam eſſe, & interius illam continenter integram, & illabefactam ſervaſſe, cum iis omnibus ſapienter & optime præſtitutis, quæ vim Ipſius intimam ſuſtentant, & roborant, tum etiam ſuperaddita Regia prorſus Templorum magnificentia, & inſigni pompa Sacrorum? Verumtamen tanta hæc Religionis decora, & firmamenta excelſo Auguſti Senatus Veneti Conſilio, eximiæque Providentiæ adhuc fortius ſolidari, ac fulciri poſſe viſa ſunt, ſi nova quadam ratione, ac via Eorum Inſtitutioni cumulatius proſpiceretur, qui ex officio Ipſi ſuo Religionis dogmata, & præcepta Civibus eſſent, ac Populo tradituri. Spectatiſſima ſcilicet Auguſti Senatus Sapientia præclare vidit tanto majus ipſi Religioni decus acceſſurum, quanto major foret in Iis, quibus committenda Religio, & ſcientiæ amplitudo, & vitæ diſciplina. Quod cum exquiſite Senatus idem excogitaverit, & in hac Urbe Domina, ac Principe ſtatim perfici ſingulari prorſus Munificentia decreverit, illud nobis accidit feliciſſimum, ut tanti Operis abſolutionem, & regimen Vobis Ipſe demandaret, Præſtantiſſimi Senatores, ac Triumviri Lit-

terarii omni laudum genere cumulatissimi, quorum Fides, Integritas, Sapientia, Pietas ita patet ipsa per se, ut possit infirmari potius, quam declarari dicendo. Te vero dum intuemur, Antistes, & Præsul Amplissime, Custodem intuemur, ac Patrem longe lateque porrecti Sacerdotii; intuemur Religionis illius, quam corde foves, & exemplo doces, expressam imaginem, & vultu extantem Tuo; intuemur novæ hujus Institutionis Tutorem amantissimum, cui merito, ac consulto creditum, ut Studiorum rationem universam generatim designatam ad peculiarem quamdam, ac definitam normam exigeres, nobisque Virtute Ipse Tua, Prudentia, Moderamine præluceres. Dum itaque Instituti hujus præclarissimi utilitatem & in ipsos primum Religionis Ministros, & in omnes etiam deinde Cives redundaturam breviter pro mea imbecillitate adumbrandam suscipiam, & quantum singuli, & universi eximiæ Religiosissimi Principis Beneficentiæ debeamus conabor ostendere; adsint mihi pro summa benignitate sua Cives nobilissimi æque, ac litteratissimi, adsint quicumque ex omni Ordine præstantiores huc tanta frequentia convenere; & si Dicentis orationem minime fortasse probare possunt, nequaquam mirentur me tantæ In-

stitutionis dignitati ac granditati, tanquam ingenti cuidam oneri, succubuisse.

Vaferrimum illum Religionis hostem Julianum accepimus, ut Imperii sui primordiis non impie minus, quam infeliciter auspicaretur, tyrannide Litteras oppressisse, ut Vir sanctissimus, ac doctissimus Gregorius Theologus gravi, vehementique oratione publice conquestus est. Putavit nimirum vesanus homo posse se nervos omnes Religionis exscindere, & ipsius fundamenta subruere, si ejusdem Alumnis, & Ministris per tela, per cædes ab ipso igne, ac ferro opes, animumque ducentibus, ad Humanitatis studia, graviorumque Disciplinarum adeptionem aditum penitus interdiceret. Quantæ igitur sapientiæ putemus esse, quantæque utilitatis, si non modo Iis, qui Religionis Custodes, Præcones, Vindices futuri sunt, ad litteraturam pandatur via, non modo stimulis ab Optimo Principe ad id strenue peragendum Iidem incitentur, sed etiam peculiari providentia, nullo Eorumdem incommodo, immo opportunitatibus omnibus munifice patefactis, præmiisque propositis ad id naviter urgendum paterna charitate alliciantur, &, ne quid umquam impedimenti possit officere, ad istud Opus tam grande, tam fructuosum, in quod omnes libentissime

Digitized by Google

coeunt, utiliter constanterque præstandum, in amoris, & benevolentiæ testimonium decretis demum, ac legibus dirigantur? Quid si non qualiscunque ratio litteraturæ, non generalis quædam, & cuilibet Adolescentum ordini accommodata studiorum forma ab eminenti Perspicientia Senatus proposita nobis fuerit, sed peculiaris, ac propria, & eo unice collineans, ut Sacrorum Alumni, quod Eorum muneris potissimum est, apprime condiscant, & in artibus, ac scientiis Iisdem omnino necessariis legitimo temporis spatio possint erudiri? Quamvis enim nulla pars sit ingenuarum artium, nulla graviorum disciplinarum, quæ cum sacris artibus, ac disciplinis certa cognatione non devinciatur; quamvis universa, & singula, quæ cum Veteres, tum Recentes in omni litterarum genere excogitarunt, ad veram Religionis notitiam, & sacrarum institutionum uberiorem amplificationem ingenti cum fructu traduci possint, ac prope debeant; tamen ita flecti, ac temperari potest generalis designatio studiorum, ita ex omnibus, quod est in re quaque opportunissimum, seligi, & in novam architecturæ cujusdam speciem digeri, & conformari; ut ea velut Ædes exsurgat, in qua nihil desit, verum illud præcipue emineat, quod præstitutus fabricæ usus, & certa conditio postu-

Digitized by Google

lat jure suo. Hoc vero Studiorum ad sacras institutiones pertinentium singulare temperamentum, hæc lectissima omnium ad unum finem permixtio, hic tam insignis, & utilis ordo nequaquam a nobis quærendus est, nequaquam inveniendus, nequaquam proponendus. Egregiam hanc designationem ob oculos nobis posuit Providentissimi Principis Consilium, hanc nobis Spectatissimi Præsulis Sapientia declaravit. Id unum nostri muneris est, ut, qua nobis datur, in eos fines animum intendamus, ex quorum contemplatione Institutionis ipsius utilitas clarius exsplendescit; & sin minus evolvamus, attingamus saltem rationes illas, quæ tanto Operi veluti fundamento sunt. Quas ego dum eruendas, exponendasque suscipio, atque animo interea mecum ipse revolvo quæ Græcorum Patrum eloquentissimus in aureis illis suis de Sacerdotio *libris* passim inculcat, quæque Maximus Hieronymus in Eo requirit, cui sint Sacrarum Litterarum fontes adeundi; cumque aliunde noverim ex Veterum sententia Institutionem quamlibet tripartito distingui, in doctrinam scilicet, rationem, & usum; profecto video præclarissima quæque fuisse decerpta, & in novum quasi corpus digesta opportuna accommodatione, & contractione; propterea quod non jam viris,

Digitized by Google

sed studiosis tantum adolescentibus proponerentur.

Ac principio quidem poterat ne quicquam salubrius, utiliusque decerni, quam ut ad optimam præcipue Latinitatem Juvenes Sacris addicendi toto Institutionis curriculo informarentur? Præterquamquod enim Lingua hæc omnium olim gentium Domina in veræ Religionis Linguam evasit, cum ipsa propterea duraturam, majestatem etiam quamdam ipsa suam in animos ingerit, & ex optimis hausta fontibus nobilitatem largitur notionibus rerum quarumcunque, & mentes ad quamdam cogitandi excellentiam ex Romanorum ingenio paulatim erigit: unde duplex existit emolumentum; alterum in ipsa Religionis notitia, & dignitate situm; alterum in generosa quadam animi excelsitate, a vulgari consuetudine Adolescentum indolem abducente. Ut vero Juvenes in ipso ætatis flore Latio satis assueverint, & apte singula interpretando, recteque scribendo cum optimis exemplaribus familiaritatem inierint, quam utiliter Iidem ad plenos illos, & integros Tullianæ Eloquentiæ fontes deducentur, quorum haustu sanctissimi Religionis Proceres mirifice delectabantur! Ab iis enim Adolescentibus, quorum deinde officium sit cæteros

Digitized by Google

in Templo erudite, ingenuitas quædam dicendi, & sponte fluens, ac nativa prorsus oratio, tum in omne disputationis, narrationis, argumentationis genus prompta, vivida, expedita facultas sibimetipsis comparetur oportet; quam acquirere ex Tullio possunt variam, multiplicem, uberem; quam per imagines sensibus obvias populo accommodare eosdem castigata Principum Poëtarum lectio docebit; quam ubi semel tamquam perfecti alicujus formam mente, & intelligentia complexi fuerint, facile poterunt, Itali sermonis accedente cultura, pro lubitu expromere, flectere, temperare. Cum itaque linguæ, exercitationi, memoriæ, tum imaginantis facultatis opportunæ explicationi, & eruditioni legitime consultum fuerit, jam Ratio locupletanda sanis, præcipuisque notionibus severioris Philosophiæ, jam Adolescentibus Sapientiæ templa pandenda. Qui enim Theologus esse possit, qui sacer Orator, qui Morum Censor, & Doctor, qui Religionis Custos, & Vindex, nisi probe didicerit mature, ac solide ratiocinari? Aderit Iisdem, aderit humanarum disciplinarum princeps, & arbitra non hirta, non contentiosa, non minutatim omnia concidens, non vana crepans mysteria profanorum instar Oraculorum; sed simplex, & verecunda, majestatem illam, seve-

ritatemque præportans, quæ matrem decet filiis optime consulentem. Quæ simul ac alumnos ipsa suos ratiocinandi artem breviter, ac perspicue, tum simul argute, & nervose docuerit, ita se temperabit, ut & Iisdem præcipuas Philosophorum veterum opiniones, atque sententias patefaciat ad Sanctorum Patrum intelligentiam penitus necessarias, & lectissimas quasque quæstiones Ipsis evolvat antiquæ pariter, & recentis Philosophiæ, quæ sint ad eximium illum universæ hujus Institutionis finem omnium maxime conducibiles. Cum enim insignis quædam, & eminens ex vera Philosophia in sacras, & altiores disciplinas redundet utilitas, tum quod ipsius opera de augusta Religionis Veritate ratio reddatur; tum quod ad strenue pro Religione dimicandum contra turmas illas hominum Philosophi nomine turpiter abutentium ab eadem nobis arma suppeditentur; tum demum quod gravissima hæc Disciplina, quatenus progredi Ratione liceat, & ubi sistendum rite decernat; illud etiam ut plurimum accidit, extitisse scilicet quovis tempore nonnullos, qui ex præscripto dominantis Philosophiæ de Religione dissererent, nec semper eos limites satis accurate distinguerent, qui Veritatem æternam, atque immutabilem ipsius ore Numinis hominibus

Digitized by Google

declaratam ab humana ratiocinatione, & philosophica opinatione discriminant. Veræ itaque Philosophiæ patrocinio, adscito etiam lumine Doctrinæ divinitus patefactæ, illud plane definiri potest; quantum Religioni, quantum Rationi, quantum fluxis, & subinde labentibus hominum Opinionibus concedendum sit. Hoc quasi succo alti roboratique optimi Adolescentes, his instituti præceptionibus, & Eloquentiæ simul, ac Philosophiæ rudimentis imbuti, iis etiam interea delibatis, quæ Morali Scientiæ cum Religione fœderatæ, quæque Theologiæ adjumenta non levia sunt, Iis profecto credendi erant, qui utilioris cujusdam, & amplioris Eloquentiæ, nimirum Sacræ, Iisdem adyta patefacerent. Quamvis enim hoc Eloquentiæ genus in summa difficultate positum sit, ac præter ea omnia, quæ generatim ad Oratorem quemcunque pertinent, plurima complectatur propria penitus, ac sua, ideoque sit ultimum illud, & perfectissimum, in quod opes omnes cum sacræ, tum profanæ eruditionis, & scientiæ coeunt, atque conspirant; tamen ita erat Adolescentibus proponendum, ut esset intermedium quasi quoddam Philosophiæ, & altiorum Disciplinarum; ne, si ad extremum servaretur, majus quiddam esse deberet, quam quod Juvenes, absoluto etiam stu-

Digitized by Google

diorum curriculo, ferre possent. Ingenia igitur ab humanioribus Litteris ad Philosophiam, ab hac ad Sacram Eloquentiam translata, atque ita varietate studiorum secum optime cohærentium quasi pellecta, & sapienti amœnitatis, ac severitatis temperatione mollita, & condocefacta aptius committi possunt & sacræ Morum Scientiæ, & disciplinarum omnium eminentissimæ Theologiæ. Quæ cæterarum Dominæ, ac Principes disciplinæ cum in sacris hisce institutis se se nobis prodant dignitate, ac necessitate ipsæ sua, & maturiorem ætatem postulent, animique intentionem firmiorem, ac diuturniorem, in extremum studiorum tempus prudentissime reservatæ sunt finem tanto Operi gloriosius impositurae. Quis itaque modo vestrum, Auditores nobilissimi, & ornatissimi, cum ex his, quæ hactenus indiserte, leviterque perstrinxi, tum multo magis ex iis longe pluribus, ac penitissimis, quæ pro summa vestra perspicacitate videtis ipsi, plane non intelligit utilitatem novæ hujus Institutionis maximam certo futuram, propterea quod adjumenta illa omnia, ac studia Disciplinarum, & Artium se se invicem miro nexu excipientia complectatur, quæ ad optime erudiendos Sacrorum Alumnos nec a tanti Principis Sapientia, & Providentia sollertius poterant

Digitized by Google

426

cogitari, nec aptius digeri, nec opportunius præcipi, nec parari magnificentius?

Quamquam videor ipse mihi quodam veluti in recessu præclara multa levibus tantum exterius lineamentis expressa pro mea tenuitate intueri, & admirabilem in hac Institutione proponenda sapientiam in iis etiam agnoscere, quæ vel Nobis indicata tantummodo, non aperte declarata sunt; vel ita prætermissa, ut Præceptorum industriæ, sollertiæque tacite commendarentur. Cum enim quæcunque Publica voluntate, & auctoritate Præceptoribus, atque Discipulis clare, & evidenter præscripta sunt, ea plene, cumulateque conficienda, & absolvenda sint, & eorumdem accurate ratio reddenda, ita leges temperavit suas amantissimi Principis benignitas, ut ea tantum juberet, quæ absque ulla declinatione fieri perfecte possent. At quemadmodum in semine totius plantæ rudimentum continetur, ac latet, quod deinde incrementis extrinsecus advenientibus evolvitur, & adolescit, ac demum evadit in arborem late brachia porrigentem, & ornamento frondium, ac fructuum ubertate spectabilem; sic etiam ubi cœperit nova hæc Institutio jactis radicibus vigere, & efflorescere, ubi quid facto opus sit, quis addendus culturæ

Digitized by Google

gradus, quæ alia veluti elementa in subsidium vocanda Præceptorum cura noverit, & vigilantia, Eorum erit pro occasione, & opportunitate ex iis artibus, ac scientiis, quæ vel ipsius Institutionis natura postulat, vel eidem emolumento esse possunt, plurima excerpere, quæ apta deinde insitione in unum, & idem quasi corpus coalescant. Quoniam vero pro Civitatis hujus amplitudine nequaquam in unum, eumdemque locum Scholæ omnes contrahi poterant, & erant idcirco singularum disciplinarum Doctores multiplicandi, summæ etiam providentiæ fuit definitos Auctores, definitamque rationem docendi omnibus eamdem consideratissime præscribere, ut ex hac etiam convenientia finis ille præcipuus magis existeret, cui sententiarum dissimilitudo, intra limites etiam recte cogitantium ingeniorum, officere potuisset. Omnimoda scilicet Institutionis, doctrinæque concordia inter omnes, & omnium mentium in unum & idem, quod sit optimum, conspirantium amica quasi societas, cum ingenii licentiam recte coerceat, & mutuo quodam benevolentiæ fœdere mentes, animosque devinciat, pugnacem illum concertationis impetum Litteratis malo fato velut ingenitum prorsus extinguit, qui sola opinionum varietate inter homines æqui servantissi-

Digitized by Google

mos & Litterarum incremento non semel obfuit, & Religionis etiam disciplinam aliqua ratione turbavit. Tantis itaque adjumentis fulti sacri Religionis Alumni, tantis opibus locupletati qui demum evadant necesse est? Illos assidua exercitatio a tenera ætate subiget, illos aucta, & amplificata cognitio rerum plurimarum & maximarum incredibili voluptate perfundet, & coget etiam quam libentissime, emenso Studiorum omnium curriculo, impensius multo, multoque vigilantius inceptum iter urgere, atque ita in acquirenda plenius sacrarum rerum notitia, & in aliorum utilitatem derivanda consenescere. Hæc porro universa Disciplinæ, & Institutionis ratio cum mirifice conferat ad vitæ integritatem, morumque innocentiam, cumque iis omnibus summa pietate consultum sit, quæ sunt veluti munimenta Adolescentiæ, nihilque non provisum, quod Juvenes Ministerium omnium sanctissimum suscepturos in officio posset perhumaniter continere; sinite, quæso, me in futurum tempus oculos, mentemque conjicere, & dum insolenti quadam lætitia gestiens parumper subsisto, spectaculum veris Fidei, & Religionis amatoribus jucundissimum contemplari.

Fluvium ego illum ex primigeno voluptatis

Horto egredientem, atque inde irrigatione quadripartita terras plurimas fœcundantem imaginem video mihi sistere uberrimæ illius utilitatis, quæ proxime in Religionem ipsam, ejusdemque Ministros, tum vero in cæteros redundabit. Quemadmodum enim Fluvius ille ex uno capite manans Hortum ipsum primo fovebat ita, ut plantas pro sua quasque natura fructus optimos gignentes aleret, ubertatemque deinde tantam late in alias terras derivaret, ac funderet; ita ex una hac Institutione omnigenæ fœcunditatis plenissima quasi pullulantes intueor Religionis Alumnos, atque Ministros, & in dissimili genere consimili laude florentes. Erunt scilicet, erunt, qui diserte simul, ac solide in Templis de Religione, & Moribus sæpe disserant; erunt, qui scite, & apposite populum de Fide, & Lege familiariter doceant; erunt, qui doctrina simul, & prudentia præstantes interioris vitæ ordinem in aliis regant, & probe firment; erunt, qui scientiam, & eruditionem ipsi suam in novos, ac subinde nascentes Alumnos inserant, & continenter propagent in omne tempus; erunt denique, qui ad multiforme Ministerii opus parati Scriptis etiam pro recto Societatis ordine, & pro Religione decertent. Nec deerunt interea, qui possint in eum-

Digitized by Google

dem finem conspirantes hisce opibus locupletati, & accersitis sibi facili labore cæterarum Artium, & Disciplinatum præsidiis maxima cum utilitate privatis Institutionibus præesse, & ad Civitatis nobilissimæ auctiorem, ampliorem que culturam plurimum conferre. At cur ego pluribus Vos detineam, cur ea velim exiliter recensere, quæ possunt sensu intimo prævideri magis, quam oratione describi? Videtur profecto mihi augusta ipsa Religio nobilissimam Urbem hanc, quam sinu semper fovit suo, Venetum hunc Gregem sub eximio Pastore felicissimum amantius quodammodo aspicere, & benignius amplexari. Jam ipsa hæc divina Religio, atque ejusdem divinissimus Auctor, & Conservator Religiosissimum Principem beneficiis amplioribus cumulans nostrum omnium votis ferventibus obsecundabit; dum Ipsi summa augusti Principis majestate deterriti Eidem constantissima grati animi, & obsequii sensa leviter etiam significare summopere verecundamur. Sub tutela itaque, & patrocinio gravissimi Magistratus Vestri, optimi, & æquissimi Senatores, auspicato conquiescimus: nos Tibi, Præsul, & Antistes, Moderatori sapientissimo, ac Parenti benevolentissimo committimus, & dicamus. Quantum utrinque nobis præsidii! quantum